CONSTITV TIONES CAPITVLI CA THEDRALIS ECCLE SIE FLOREN TINE.

TABVLA.

IN NOMINE domini nostri Iesucristi in quo cuncta prorsus agenda esse docet Apostolus: & implorato Beatissime Virginis genitricis Dei Marie: Sanctiss. Io. Baptiste: ac beati Zenobii confessoris conciuis & pontificis olim nostri patrocinio: pro cōdendis uel resarciendis huius Collegii constitutionibus initium ad eorum honorem sumamus & decus cathedralis Ecclesie Florentine ipsiusq; perpetui administratoris Reuerendiss. D. Domini Nicolai de Rodulphis Diaconi Cardinalis. S. R. E. precepta euangelica pre oculis habentes.

¶ De numero & nominibus Dignitatum & Canonicorum ecclesie florentine. Ca. I.

IN Ecclesia florentina quinque sunt Dignitates: quarum prima Archidiaconatus: secūda Archipresbiteratus: Tertia Decanatus: Quarta Prepositura: Quinta Subdecanatus: Canonicatus uero. XXX Et VIII. Nomina autem eorum qui predictas in presenti dignitates & Canonicat⁹ sustinent sunt hæc: Videlicet.

¶ Reueren. Dominus Archidiaconus: Dominus Bernardettus Minerbettus Epi.

Reuer. Dn̄s Thadeus gaddus Archipresbiter & Archiepiscopus.

Dn̄s Donatus Acciaiolus Decan.

Dn̄s Alexander stroza Prepositus.

Dñs Laurentius Puccius Subdecanus.
Dñs Antonius Nerlius.
Dñs Iacobus Hyeronimus.
Dominus Donatus Bardus.
Reuer. Dñs Braccius Martellus Episcopus.
Dñs Iacobus Mannellus.
Dñs Leonardus doffus.
Dñs Renatus Paccius.
Dñs Bartholomeus Iunius.
Dñs Philippus Bondelmontes
Dñs Laurentius Iamfiliatius.
Dñs Angelus Stupha.
Dñs Io. Baptista Caponius.
Dñs Ioannes Paccius.
Dñs Nicolaus Rodulphus.
Reuer. Dñs Alphonsus Tornabonus Episc.
Dñs Paulus Nicolinus.
Dñs Io. Baptista figiouannes.
Dñs Leonardus Nobilis.
Dñs Io. Franciscus Guiduccius.
Dñs Petrus Nerlius.
Dñs Petrus Iacobi Medices.
Dñs Boccaccinus Alemannus.
Dñs Franciscus Campanus.
Dñs Leonardus Nasius.
Dñs Petrus Franciscus Riccius.
Dñs Io. Baptista detius.
Reuer. Dñs Io. Baptista Recasolan. Episco.
Dñs Nicolaus Caponius.

Dñs Clemens Oricellarius.
Dñs Puccius Vgolinus.
Dñs Petrus Andree Medices.
Dñs Franciſcus Albitius.
Dñs Io. Maria Doctor.
Dñs Nicolaus Vgolinellus.
Dñs Benedictus Nerlius
Dñs Antonius Braccius.
Dñs Io. Baptiſta Melanenſis.
Dñs Thomas Seriſtorus.

De Numero non augendo Cap. 2.

STATVIMVS prefatum numerum de quinqꝫ dignitatibus: ac triginta & octo Canonicatibus non augendum niſi prius Canonicis enumerentur duo millia ducatorum auri in anro lar. ad emenda bona immobilia pro Capitulo & annuali diſtributione per denuo creantem Canonicatum: qui non debeat in Canonicum admitti nec habere ſtallum in Coro & locum in Capitulo anteq̄ predicta pecunia ſic actualiter fuerit expoſita: & ſtantibus his teneatur etiam conſtituere prebendam ex quibuscūqꝫ bonis ad hoc deſignatis preterq̄ eccleſiaſticis: ex cuius prouentibus & ipſe percipere poſſit & qui pro tempore poſt eum exetiterit ualorem Annuum quinquaginta ducatorum: Preterea decernimus ut ſi Archidiaconus uel alius de Capitulo ſuprascripta ſolutione non ſequta ullo unq̄ tem-

pore

pore aliquam nouam proponeret erectionem: etiam si fuerit super constitutione dispensatum & iuramento per ordinarium uel per sedem Apo- stolicam: siue per eam ipsi Capitulo sub censuris &c. mandatum ut proponeretur: ipsofacto pri- uetur omnibus distributionibus annis decem absq; aliqua declaratione: adeo ut sufficiat prote stationem fieri tam per unum q̄ per plures de- prenominato Capitulo distributori aut Coriste uel Camerariis: qui seu quilibet eorum contra- facientes intelligantur & sint officio priuati: ac distributionibus modo predicto: propositis aliis ex cousuetudine creandis &c.

Enumeratis uero duobus millibus ducatorum pro distributionibus tantum ut supra interue- nientibus in eo actu XXX. saltem Canonici s cum dignitatibus personaliter id est triginta tan- tum tractari possit de dicta erectione, obliga- to nouo recipiendo sumptibus suis pro constitu tionis derogatione uel approbatione per sum- mum Pontificem habenda si necessarium foret: Declarantes insuper ut predictis. XXX. Cano nicis presentibus & assistentibus debeat consta re partitum adminus ex uigintiseptem fabis ni- gris: q; si plures fuerint Canonici q̄ triginta: sem per uincatur partitum predictum rata ratione: ut uulgo dicitur de noue decimi: Citatis pro hac materia sumptibus Capituli omnibus intra milia ria uiginti existentibus Canonicis.

¶ De admittendis ad Communes Capitu. Tractatus. Capitul. III.

PRETER presentes dignitates atq; Canonicos uidelicet Dominum Archidiaconum: Dominum Archiptesbiterum: Dominum: Decanum: Dominum Prepositum: Dominum Subdecanum ac Dominos Triginta & octo Canonicos prebendā integraliter & pacifice assequtos & in Sacris constitutos nullus ullo modo recipiatur ad communes Capituli nostri Tractatus &c.

¶ De Tabula singulorum de Capitulo: eorumq; deputatione iuxta illam in hebdomadis Capitul. IIII.

ROTVLVS fiat uel Tabula: in qua dignitates primo incipiendo ab Archidiacono ac reliqui deinceps Canonici describantur incipiendo ab antiquiori: Singulis autem hebdomadis ordine tabule predicte seruato deputetur unus ex eis: exceptis episcopis: ad sacerdotium promotus: qui hebdomadarius existens missam dūtaxat & uesperas canendo aliisq; officiis fungendo ad normam & consuetudinem Ecclesie nostre integre per se uel per alium ex Canonicis cuicūq; ipse eam commisserit exerceat: nisi Reuerendus Dominus Archiepiscopus uel suffraganeus

personaliter eiusmodi peragere uoluerit: Quilibet uero hebdomadarius siue ab eo substitutus sic celebrans officiaq; actitans duplicē pro mercede qualemcunq; ordinariam recipiat distributionem ac etiam ceram: pertinentibus ad eum Vesperis sabbati cum forte dicto sabbato & Dominica sequenti duo acciderint Solemnia: Cui tamen hebdomada semper debeat a Sacrista per clericum Sabbato intimari: uidelicet in Vesperis: aut cū in eis incoanda sit quandoq; in Missa q̄ si predictis horis tunc absuerit ille cui contigerit ad alium subinde intelligatur deuoluta: & qui percepta intimatione nisi ex caussa legitima per Dominos de cura examinanda: contrafecerit: is a Corista per totam illam hebdomadam nullatenus admittatur: Statuimus item ut si quando paraturi cum Archiepiscopo uel eius suffraganeo siue Archidiacono suas aliis demandauerint uices: exequatur demādatum munus istud habita ratione receptionis non etatis: omnibus tamen dignitatibus utiq; precedentibus: Animaduertendum est preterea in Resurrectione Domini & Natali Penthecoste maioriq; hebdomada optandos esse dies: quatenus uerus hebdomadarius primas & secundas Vesperas: Matutinum & Missam peragat: qui uero secundam optauerit diem Matutinum & Missam: ac Vesperas eiusdem. qui tertiū similiter: & in maiori hebdomada Missā quinte Ferię uerus habeat hebdo

madarius: sexte deinde ac sabbati qui post cũ ex ordine sequntur: nisi Archiepiscopus uel soffraganeus celebrare uoluerit: Semper autem paraturi cum eis dupliciter admittantur: uidelicet hebdomadarius uerus & qui post eum primi obuenerint: puta immissa Diaconus & Subdiaconus & in Vesperis altet Sacerdos ex:stens: Quãdocunq; tamen occurrat hoc alibi q̃ iu Ecclesia nostra: uerus hebdomadarius si opus sit celebraturus in ea remaneat uel ab eo substitutus: qui etiam per se aut per alium similiter exerceat quicquid ob funera supradictis diebus optandis occurrentia & eiusmodi agendum extiterit: Nolens uero parare se cum predictis Archiepiscopo suffraganeo & Arrchidiacono uel non committens perdat illius Diei distribbutiones.

De modo Recipiendi Canonicos & assignandi eis Stallum in Coro & locum in capitulo. Capitul. V.

ORDINAMVS ut quilibet recipiendus siue indignitatem siue in Canonicum postq̃ ei fuerit assignatum stallum in Coro & ipse iuramento promiserit seruare constitutiones ad osculum pacis deinde tecipiatur & habeat locum in Capitulo: Modus autem assignandi predictũ locum uel stallum in Coro & in Capitulo hic erit Si fuerit dignitas assignetur ei per duas in Capitulo

tulo antiquiores dignitates: si interfuerint: sin minus per duos Canonicos in Canonicatu antiquiores: si uero fuerit Canonicus per duos tantum Canonicos in Canonicatu antiquiores fiat.

De Ordine loco habitu & obseruantia precipue in diuinis. Capitul. VI.

ITEM constituimus ut primus Dominus Archidiaconus: Secundus Dominus Archipresbiter: Tertius Dominus decanus: Quartus Dominus Prepositus: Quintus Dominus subdecanus ordine suo in loco statuto sedeant: subsequenter uero Domini Canonici cum rocchetto pallio & capuccio: qui super humeros more prothonotariorum extendatur: coloratis: ut dicimus lingua uernacula di Panno: o Rascia rosa secca: o pagonazo scuro & di Chiambelotto similmente Pagonazo: o tane: prohibitis aliis coloribus: quo quidem habitu modo predicto diuinis horis in Coro diurnis uti semper debeant: in Matutinis uero his tantũmodo diebus: uidelicet in Resurrectione domini & duobus sequentibus diebus Natali eiusdem similiter ac Penthecoste: in assumptione Beate Virginis Marie atq; in festo sancti Zenobii: aliis uero diebus iu quibus totum cantatur Matutinum: sufficiat tanum cotta cum guso: atq; hi omn es & Cauonici & dignitates stare debeant in ipso Coro deuote

religioſeq; iuxta Canonem Decet in Sexto de im munitate Eccleſiarum : ubi Gregorius . X . Decet inquit Domum Domini ſanctitudo : Decet ut cuius in pace factus eſt locus eius cultus debita ſit ueneratione pacificus : ſit itaq; ad Eccleſias humilis & deuotus ingreſſus : ſit in eis quieta conuerſatio : Deo grata : inſpicientibus placida : que conſiderantes non ſolum inſtituat : ſed etiam reficiat : Quotieſcunq; nomen illud : quod eſt ſuper omne nomen uidelicet Ieſu chriſti recolitur flectant genua cordis ſui : quod uel capitis inclinatione teſtentur : attendantur intentis precordiis ſacra ſolemnia : orationibus deuotis inſiſtatur : Nullus ſeditionem excitet con clamatienem moueat impetumue committat : Ceſſent uniuerſitatum & ſocietatum qnarumlibet conſilia conciones & publica parlamenta uana & multo fortius feda & prophana colloquia : Ceſſent confabulationes quelibet : ac poſtremo quecunq; alia que diuinum ualeant perturbare officium aut oculos diuine maieſtatis offendere : ne ubi peccatorum eſt uenia poſtulanda ibi precandi occaſio detur : aut deprehendantur peccata committi : Non autem liceat cum ſupradicto habitu dum officia diuina celebrantur ſtare uel ſedere extra Corum : niſi pro audienda Confeſſione : uel cauſſa tractandi aliquid ex neceſſitate aut cum honeſtis mulieribus ſedendo tamen aut cum hominibus ut cunq; ſed breuiter : uel aliquid agendi gra

tia pro capituli negociis presertim per Camerarios : quod si forte immorandum sit saceraditus petatur : uel ab Ecclesia fiat dicessio : Deambulare uero nullatenus permittatur sub pena priuationis distributionum diei illius per Coristam exequenda & per eos item incurrenda qui occasione cuiuscunque commissionis etiam apostolice aliquem iudicialem actum facere aut Bullas acceptare breuia ullamq; cōmissionem audeat dum in Coro diuina celebranrur officia : At per Ciuitatem honesto incedatur pro tempore habitu: maxime cum ad magistratus uel curiam Archiepiscopalem existat ingressio : etiam cum famulo seu Comite aliquo si commode fieri possit.

De Cori obseruantia & punto. C. VII.

VOLVMVS ut omnes dignitates & Canonici supradicti uolentes quotidianas participare distributiones intersint Matutinis : Vesperis & Completoriis anteq̃ finiatur primus Psalmus : ac debeant stare in Coro continue : uidelicet in Matutinis quousque finiatur benedicamus domino deo gratias : in Vesperis & Completoriis usq; ad ultimum finem : in Missa item si fuerit solemnis intersint anteq̃ absoluatur duplicatio introitus : in dominicalibus & festis duplicibus anteq̃ finiatur ultimum kyrieleison : Inferialibus & festis non duplicibus priusq̃ incipiatur Epistola ibiq; stare debeant sedulo usq; ad

ſacerdotis diſceſſum ab altari: quando autem di- citur Miſſa populi ſimiliter interſint ac perma- neant ut ſupra de aliis Miſſis dictum eſt: niſi in Quadrageſima certisq; temporibus cum poſt eiuſmodi Miſſam predicatur: tunc enim poſt ele uationẽ Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti licet diſcedere: Quandocunq; uero dicuntur Veſpere mortuorun quilibet ſtare de- beat in Coro uſq; ad ultimum finem: quando iti dem fit officium pro defunctis uel exequie mo- tuorum interſint poſt finem tertii Pſalmi anteq̃ finiatur Paternoſter: ſtando ibi quouſq; abſolua tur Miſſa: Siquis autem predictis horis preſcrip to modo non interfuerit & continue permanſerit niſi urgente Corporis neceſſitate: uel re aut ne- gocio: quod commode diferri nequeat: nihil omnino lucretur: Quaudo item fit proceſſio: poſt ueſperas per Eccleſiam uel ad cappellam bea te Virginis Marie debeant incedere pariter acre- dire iuxta conſuetudinem noſtram uidelicet ſi pa ratus fuerit Canonicus comitentur illum uſq; ad Sacrumaditum: ſi Cappellanus uſq; ad maioris teſtudinis introitum: Et quando reliquie por- tantur interſint a principio: ac etiam cum ad ſua reportantur loca: in proceſſionibus demum extra Eccleſiam quilibet ſe componat loco ſuo priuſq̃ e Coro egrediatur: ad quem eodem modo pro- cedentes redeant: atq; in eo permaneant ex or- dine quouſque finiatur oratio &c. Qui uero

contra

contra fecerit nihil omnino lucretur : omnes de-
niq; siue in dignitatibus constituti preter episco-
pos siue Canonici supradicti pro intimandis in
Coro Antiphonis a Cantoribus inuitati assur-
gant : atq; ad legium ab eisdem ob aliquid in so-
lemnitatibus decantandum uocati adcedant ca-
pite detecto pro Dei honore & decus Ecclesie flo
rentine . &c.

¶De Missa extra Cathedralem Ecclesiam per Canonicos dicenda . Capi. VIII.

ORdinamus etiam ut nullus de Capi. cele
bret Missas p' ciuitatem extra cathedralē
Ecclesiam pro aliqua mercede recipienda nisi in
Ecclesia sua propria : Cantare uero & celebrare
possit ex deuotione uel ex uoto ad libitum super
quibus eorum conscientiam oneramus &c.

¶De exemptis a Choro. Capi. IX.

INTELLIGANTVR preterea exem-
pti a diuinis officiis participando semper de
distributionibus ac si interessent qui pro Capitu
li negociis fuerint occupati aut infirmitate medi-
cinaue ita detenti ut foras non egrediantur : Et
quoniam sepe fit ut in reconualescentia infirmus
aliquantulum extra domum exeat exalādi causa
concedimus ut egrotus per Canonicam deambu
let sitas in ipso Claustro domos intrando cete-

terisquoq; Canonicis extra predictũ Claustrũ habitantibus eiusmodi permisso euagandi spacio: hoc tamen seruato ut hi qui non sunt consueti ecclesie deseruire iuxta capituli declarationem quãdoquidem infirmẽtur & predictas petierint distributiones, pdimidia tãtum portione participẽt.

De Distributionibus ordinariis. Cap. X.

STATVIMVS quoq; ut in solemnibus distribuantur pro Matutinis octo solidi: pro qualibet Missa & Vesperis quattuordecim: In dominicalibus autem seu festis duplicibus pro Matutinis quinq; pro Vesperis ac missis. x. inferialibus uero pro Matutinis Solidi. 3. & den. 4. pro Missis & Vesperis. 7. omni deniq; tempore pro Completorio duo. &c.

De Distributionibus extraordinariis. C. XI.

STRENE in argentea pecunia: quam uulgariter dicimus grossom nuoui sic distribuantur uidelicet in Resurrectione Domini Argentei octo: in Natali eiusdem similiter octo: in festo omnium Sanctorum quattuor: feria quinta maioris hebdomade in lotione pedum sex: Feria quinta ante Carnis priuium sex: Preterea proqualibet processione citra Arnum Argentei sex: excepta illa Corporis christi pro qua dantur Argentei. 13. pro qualibet uero ultra Arnum item. 12. his uidelicet qui in sacris existunt: nam aliis da-

tur tantũmodo Argenteus unus ſeruatis utiq; puncto prout in Capi. 7. ſupra de punti obſeruantia: et aliis ſeruandis: a quibus nil admodum excuſet preter abſentiam pro Capituli negociis: in qua predicte nihilominus acquiruntur ſtrene: & preter infirmitatem: in qua condonantur tantum que habentur extra proceſſiones quarum nomina proceſſionum in Archiuo noſtro ſunt affatim deſcripta. ¶ Diſtributio inſuper frumenti & alioꝝ que ſub nomine Salis continentur: ſingulis annis facienda intelligatur pro his qui dimidia parte anni adminus Eccleſie perſonaliter deſeruiſſe inueniantur ſaltem in Matut. pro qualibet die tantum uel Miſſa: Veſperis aut Cõplet. ac interpellate licet: computatisq; diebus in quibus & ſi diuinis nõ interfuerint officiis: aliqua tñ de cã: niſi rõe abſẽtie: rite fuerint admiſſi.

De his q̃ ad diſtributiões admittẽdi ſunt. C. XII.

DIGNITATES omnes & Canonici ſuperius nominati poſt pacificam & integralem prebende aſſequtionem dũmodo ſint in ſacris conſtituti admittantur ad omnes tam ordinarias q̃ extraordinarias Capituli noſtri diſtributiones: exceptione facta pro Canonicatibus Do. Io. Franciſci Guiduccii: uidelicet poſt obitum eius: & Domini Ioannis Paccii in preſenti ac Domini Leonardi Naſii: eo ꝙ non dum Capitulari maſſe pro quotidianis diſtributionibus

fuerit satisfactum: adeo ut quousq; integraliter iuxta ualorem annuarum distributionum satis fiat per ipsos uel per successores ipsorum nunq̄ uelimus qui ad tales Canonicatus uel prebendas eligantur admitti aut recipi debere ad predictas obuentiones: prouidentes adhoc ne Dominus Archidiaconus uel quilibet alius presidens possit proponere in Capitulo seu ponere quouismodo ad partitum aliquid contra presentem Constitutionem: & qui secus attentauerit eo ipso intelligatur incidisse in penam priuationis omnium distributionum unius anni seruiendo: ac si quid per sedem Apostolicam fuerit illis demandatum teneantur Capituli sumptibus Citare omnes Canonicos: Prefatus autem Archidiaconus ad prescriptas distributiones in duplo q̄ alii est admittendus uigore bulle sue hoc dignitati concedentis: ad quas deniq; nullus Capituli debitor existens qui solutionem per duos menses distulerit admittatur quousq; integre debitum persoluat.

¶De Pecunia exliuellis uel alia simili de Caussa suscepta masse capl'i applicāda. Cap. XIII.

ORDINAMUS item ut pecunie que plerumq; percipiuntur ex inuestituris & concessionibus domorum liuellariarum per Canonem non solutum uel per lineam finitam aliqua ue alia de caussa ad nostrum Capitulum reuertentium

uertentium

uertentium seu habentur oblicentiam concessã aut concedendam in Emphiteosim perpetuam alicui siue liuellario dicti Capituli ut Domum suam liuellariam uel liuellarium alienare aut uendere possit: applicari debeant masse Capituli predicti: nec distribuantur inter Canonicos sub pena priuationis distributionum duorum Mensiũ incurrenda per eum qui huiusmodi aliter posuerit ad partitum: aut cum effectu poni curauerit.

¶ De Anniuersariis Canonicorum decedentium. Capi. XIIII.

FIAT pro quolibet Canonico decedente officium quindecim saltem librarum intra dies octo.

¶ De Charitate exhibenda Canonicis religionẽ ingredientibus. Capitu. XV.

QVI ex Capitulo religionem ingrediantur Cappam ab eo uel necessaria recipiant ad eam faciendam: ueluti quoddam fraternitatis pignus: ut in orationibus suis ex animo nostri facilius reminiscantur.

¶ De Pileo dando Canonicis ad aliquam dignitatem assumptis. Capi. XVI.

HI qui ex Canonicis prelaturam aliquam assequantur Pileo eiusmodi conuenienti dignitati a Capitulo donentur.

¶De Honore defunctis Canonicorum consan-guineis exhibendo. Cap. XVII.

CAPITVLVM funera consanguineorum utriusq; sexus tam Canonicorum q̃ dignitatum requisitum honoret premii nihil preter Ceram accepturum.

¶De Anniuersario Magnifici Laurentii Medices. Capiru. XVIII.

ANNIVERSARIVM fiat die nona Aprilis: uel cum primum eo Mense cõmodius fieri poterit pro Magnifico Laurentio Medice in perpetuum sumptibus Capituli & Canonico missam celebrante.

¶De Aniuersario item Canonicorum & Benefactoꝝ Capituli nostri. Cap. XIX.

ALIVD item fiat singulis annis Anniuersarium Capituli sumptibus pro cunctis dignitatibus Canonicis & benefactoribus nostris defunctis post illud omnium cõmune: nihil preter Ceram distribuendo.

¶ De Pecunia pro dotibus assignāda. Ca. XX.

QVOLIBET anno feria sexta maioris hebdomade duo ex Canonicis educantur sorte: quorum uterlibet a Camerariis accipiat libras. 30. puellis in dotem tribuendas dummodo Salis distributionem eo sint anno lucrati: cauendo ne indigne distribuāt: semel uero educti ac successores eorum non coniiciantur in bursam donec omnes eliciantur.

¶ De Canonicis obuiam Archiepiscopo mittendis. Capitu: XXI.

CAPITVLVM sumptibus propriis Archiepiscopo nostro quoties primum Florētiam uenerit obuiā mittat quattuor Canonicos.

¶ De non habenda femina suspecta & ludi turpe aliquid non exercendo. Cap. XXII.

NVLLA dignitas: Nullus Canonicus habeat domi uel foris feminam seu ancillam suspectam: Nulli insuper ex predictis ludere aliquo pacto liceat presertim ut uulgo dicitur a Dadi: o Carte: alioquin pena in constitutionibus sinodalibus expressa mulctari possit: Cui Constitutioni subiaceat quilibet etiam Ecclesie nostre uel Capellanus uel substitutus aut Clericus,

De Anua Communione seruanda per Canonicos capellanos & substitutos. C. XXIII.

CANONICI & Cappellani atq; substituti omnes feria quinta maioris hebdomade confectis ab episcopo Sacramentis publice cõmunicent per eum siue per alium: qui uice illius missam cantauerit: ut exemplo sui ceteros moneant exceptis qui eo die celebrauerint: alioquin distributionibus illius diei careant.

De Sollicitudine habenda per Dominum Archidiaconum in omnibus Caussis & negociis Capituli. Capi. XXIIII.

ARCHIDIACONVS qui preest aliis in honore subeat domus onera & diligenter inuigilet: ita ut causse per Capitulum incipiende ac etiam terminande aliaq; generalia facta totius familie ad sollicitudinẽ eius pertineãt.

De modo propalandi gesta uel gerenda p Cõmissarios capli eidẽ Archidiacono. C. XXV.

ET quoniam sepe fit ut in absentia ipsius Archidiaconi tractetur aliquid in capitulo: uel committatur: super quo requiritur Iuramentum: consilium damus: ut qui Canonici interfuerint siue cõmissarii libere uelint ipsi requirenti omnia gesta

gesta uel gerenda referre non obstante pstito iuramento: minime tamen precipimus: quod si forte noluerint: cuncta nihilominus ei cõmunicentur congregato de mandato illius capitulo.

¶ De Visitatione beneficiorum Capituli pereũdem Archidiaconum agenda eiusdemq; in quibusdã exẽptione. Ca. XXVI.

SVPRADICTVS Dominus Archidiaconus teneatur de triennio in triennium uno ex Camerariis comitante: qui sorte extrahatur uisitare omnia Capituli beneficia tam curata q̃ sine cura siue pertinentia ad ipsius Capituli electionem siue illi annexa & unita: cuncta diligenter perscrutando spiritualia simul & temporalia: ut si quicquam honorem dei & Capituli utilitatem minus concernens ibi reperiatur uniuerso postmodum Capitulo predicto referatur: q; si hoc uisitãdi munus per absentiam uel aliud impedimentum noluerit exercere teneatur alicui tantum ex camerariis illud committere: atq; in expensis pro eiusmodi uisitatione sumptibus capituli faciendis non sit excessus ultra necessaria: conscientia secus facientis onerata: Expredictis autẽ fit ut Archidiaconus ipse non debeat fieri Camerarius: cum sit in hoc officio satis grauatus: possit tamen esse Curaiuolus: Et quia non decet illum tanq̃ Caput pminens officia geren

tibus omni se negocio ueluti membrum admisce re : exemptum quoq; fore duximus ab omni officio deducendi ac reducendi Archiepiscopum ad Ecclesiam & domum : ipsumq; etiam comitan di : ac pro maiori eius dignitate & honore conce dimus ut singulis annis possit se parare tribus ui cibus ad libitum suum paratiscum eo Canonicis: & similiter Sacramentum portare in die solemni tatis corporis Christi absente Archiepiscopo uel suffraganeo : ac etiam existentibus: sed tamen no lentibus aut non ualentibus celebrare uel predi ctum Sacramentum portare : in aliis uero currat ut dicimus tabulam ordinariam : dũmodo non se paret cum Canonicis: Nullam autem Dignita tem uel Canonicum ad Episcopatus gradum pro uectum uolumus admitti ad distributiones quã do non inuitatus a Capitulo suffraganei uice se parauerit &c.

¶ De Vigilantia eiusdem Archidiaconi cum Ca merariis circa tonsuram & habitum Canoni corum ceterorumq; Ecclesie nostre presbi terorum & clericorum eorũq; lites componẽ das. Capitu. XXVII.

CVM singulas dignitates omnesq; Canoni nicos & Cappellanos substitutos & Clericos Ecclesie nostre deceat incedere tonsura & ha bitu condecenti decernimus ut quando ali

quis Canonicorum ab eiusmodi condecentia dis crepauerit Archidiaconus & Camerarii uel eo ab sente alius deinceps Presidens cum predictis Camerariis debeant fraterne illum monere: non autem punire: Archiepiscopo uel Capitulo puniendi actione reseruata: Siquis uero ex numero Cappellanorum substitutorum & clericorum similiter deuiaret corripiatur ab eis: ac nisi emendauerit possit puniri ab ipso Capitulo: quod minima quaqȝ de caussa congregari debere non censemus: atqȝ idcirco illis curam etiam adiicimus componendi lites: ac sedandi omnes discordias: que inter supradictos exoriantur: semper in absentia Domini Archidiaconi alio Presidente hoc officio fungente: q̄ si aduotum minime succedat: relatio fiat ad Capitulum: Cuius diffinitioni sit utiqȝ acquiescendum.

¶De Prefati Archidiaconi precedentia in Choro Processionib⁹ & in caplo. Ca. XXVIII.

ARCHIDIACONATVS dignitas in Capitulo Choro & processionibus precedat non solum cæteras dignitates & Canonicos Ecclesie Florentine: uerum etiam alios prelatos ut prothonotarios Episcopos atqȝ Archiepiscopos concanonicos nostros & tanq̄ Canonicos diuinis interesse uolentes uidelicet de distributionibus participando: hoc enim casu uidetur

honestum ut Capitulo nihil conferentes nec ipsi aliquid auferant: & q in loco sue receptionis residere debeant: sua uolentes portione potiri: nisi aliter ex gratia concedatur eo presertim assentiente: in Cuius preiudicium redundare uideretur contrarium: quod autem de Archidiacono diximus hoc ipsum de aliis intelligimus: ut nemo precedatur ab existentibus in maiori dignitate: quandoquidem ut supradictum est distributionum participatio requiratur: alioquin condecens in Choro & processionibus prelatis assignetur locus.

De Capitulo conuocando & aliis eodem tendentibus atq in eo requisitis. Ca. XXIX.

QVOTIES acciderit Capitulum conuocari debere: nisi necessitas urgeat per maiorem Capituli partem declaranda: citentur existentes in Choro Canonici una die pro altera per nuncium solitum: ut moris est: quibus congregatis numero pauciori. XX. & uno tractari possit & deliberari de rebus: ut dicimus ordinariis pro quibus decernendis non requiritur quemadmodum in extraordinariis negociis generale Capitulum: Si uero predictus numerus extiterit: liceat illis agere de pecuniis Capituli expendendis de augendis item distributionibus alienatione ac permutatione bonorum & de aliis quibuscunq

buſcunq; rebus cuiuſq; momenti: noſtras quoq; conſtitutiones aliqua ex parte alterantibus: eoq; in eo predicto numero ipſum proprie conſiſtat generale Capitulum: ad quod habendum cum opus fuerit citentur etiam perſonaliter omnes Canonici exiſtentes in Ciuitate: ſi commode in ueniantur: ſin minus ad ſolitam ſingulorum ha bitationem ſufficiat citatio facta: & in ſuper ſi ne ceſſe fuerit mittatur ad omnes extra Ciuitatem intra. XX. miliaria interuallo dato ſex dierum & Capituli ſumptibus: quibus ſeruatis & Capitulariter coadunatis poſtmodum Canonicis licet in requiſita ceſſerint frequentia intelligantur nihilominus omnia bene geſta & ualida ſeu obten ta partita quecunq;: hoc tamen expreſſo: ut pro ex pendendis Capituli pecuniis requiratur ſemper partitum duarum partium collegii triparti to diuiſi: & q; in actu pro noua erectione admittenda procedatur ueluti ſupra de numero non augendo: Nunq̃ autem congregetur Capitulum dum officia diuina in Choro celebrantur: omnia q; ad ipſum pertinentia in eo agi debeant: nihilq; poſſit a preſidente proponi uel mitti ad partitum niſi omnes loco ſuo & ordine ſedeant in quo quiſq; permanens loquatur: Caueatq; preſidens ne unq̃ proponat ut ad ullam Eccleſiā Capitulum diuina celebraturum ſe conferat: ſub pena priuationis diſtributionum eius diei: ac ſi quando illi uideatur neceſſariū fore ſecreta: que

ibi tractantur agat ut quilibet ibidem existens iuramento asserat se nullo pacto indicaturum: Cuncta demum que ipsi Capitulo expedire cognouerit omniq; familie Ecclesie nostre q̄ diligentissime curando: qui quidem Presidens post Archidiaconum eo absente prima successiue dignitas habeatur: & post dignitates antiquior deinceps quo ad receptionem Canonicus: Existente uero Capitulo generali uel ordinario inprincipio uidelicet & medio mensis cuiusq; Citati omnes teneantur preterepiscopos interesse uel saltē accedere pro licentia petenda: & secus facientes distributione illius diei careant: paritérq; siquis ea percepta discedens in ecclesia eo permanente ullo modo moram traxerit: executione ad Camerarios attinente: a qua si abstineant eandem ipsi penam incurrant: obnitentibus per Capitulum Dominis de cura ne omittatur.

Ceterum necessaria eidem Capitulo congregando preparent sacri aditi clerici una cum eius prouisore: cum quo semper unus ex illis coadunatis Canonicis foribus eorum solite residentie astare teneatur.

ℭ De mulcta eorum: qui aliquem de suo Capit. iniuria contumeliaue affecerint. Capi'. XXX.

SI quis ex Capitulo uel dignitati uel Canonico uerbo re aut quouismodo iniuriam intulerit: & constet: siue ꝙ ipse confessus fuerit: siue ꝙ probetur duobus dignis fide testibus: mulctetur priuatione distributionum anni unius: declarato ex maiori parte Capituli an iniuria sit appellanda: spectante utiq; ad presidentem proponere adueniente Casu & mittere ad partitum ut cõstitutio hec seruari debeat: maxime si unq̄ iniurie predicte illatio accidat in Capitulo legitime adunato cogendo prius tam affectum iniuria q̄ illam inferentem foras exire: ꝙ si neglexerit priuetur distributione trium mensium: ad quod exequendum sint obligati Camerarii adeo ut si per unum diem adimplere distulerint: non intimando Coriste ne admittat: & distributori ne soluat: liceat cuilibet Canonico etiam offenso protestare capituli declarationem exequendam: Predicti uero Corista & distributor fidem Camerariis habere teneantur sub pena indignationis Capituli.

De iuramento: prestando per Canonicos pro seruandis Constitutionibus. Capitu. XXXI.

DIGNITATES & Canonici anteq̄ recipiantur ad osculum pacis iurent in manibus presidentis obseruare Constitutiones factas & faciendas quantum in se est: ꝗ si neglexerint non debeant partici pare de distributionibus: etenim qui legem seruare contemnit omni uidetur mercede indignus.

De Drappellonibus per eosdem Canonicos conficiendis. Capi. XXXII.

SVPRADICTI Canonici & Dignitates teneantur unusquisq; infra duos menses a die sue receptionis assignare Capitulo drappellones octo secundum consuetudinem Ecclesie nostre hactenus obseruatam: preter Archidiaconū: qui debet sexdecim consignare: adeo ut nullus participet de distributionibus nisi facta infradictum tempus eiusmodi assignatione quousq; perficiat. super qua in futurum a Capi. non concedatur ulla dilatio: Predicti uero drappellones non debeant aliquo pacto cōmodari ni prius per duas eiusdem Capi. partes trifariā diuisi aliter fuerit obtentum: Hec autem institutio faciēdi predictos drappellones uigorem iampridem habuit ex confirmatione

matione per sedem Apostolicam: ut patet in supplicatione signata: que in libro de nouarum erectione dignitatum est a tergo affixa.

De Officio Archipresbiteri: & dominorum de Cura. Capitu. XXXIII.

QVE Madmodum ex quadam Capituli deliberatione apparet subscripta per Ser Dominicum Io. de fighino die sexta mensis Augusti: M. CCCC. LXVII. que in Archiuo nostro in presenti habetur diffinitū fuit olim Curam Ecclesie nostre ad Archipresbiterum perpetuo attinere duobus annuatim Canonicis a capitulo klendis Ianuarii electis ex promotis ad sacerdotium: qui Domini de Cura uocati huiusmodi cum illo subeant onus: Vnde ipsorum officium fore dicemus predicte incumbere cure: que in particularem populi sancte Reparate appellatam pro animabus omnimode curandis diuiditur & uniuersalem Ecclesie Cathedralis nuncupatam pro confessionibus primo cōmuniter audiendis & Sacramento Eucharistie ministrando ac deinde pro diuinorum ordine officiorum seruando: gubernationeq; totius familie Capellanorum & substitutorum habenda in his que diuino sunt cultui opportuna: Verumtamen cum prefati Archipresbiter Dominiq; de Cura non inueniantur ut plurimum in sacramentorum ad

ministratione uelle se personaliter sedulo ingere-
re: Cumq; desierit iampridem tam Cappellano-
rum q̄ Canonicorum que aliis temporibus in-
erat copia talia sponte prosequentium: Statui-
mus in futurum quoties prenominati Archipres
biter & Domini de Cura ipsi per se ad gredi no-
luerint & perficere que animabus curandis maxi
me requiruntur eligatur a Capitulo Sacerdos
unus bonis moribus decoratus ac predicto ne-
gocio precipue idoneus: qui officio cure suscep-
to particularis: ut diximus populi sancte Repera
te Parrochianus uocetur: in aliqua substitutione
utiq; admittendus & confirmandus: nisi de gre
mio Cappellanorum uel substitutorum Ecclesie
nostre pro tempore existentium fuerit assump-
tus: Ipse uero ditioni superiorum nihilomi-
nus per omnia subiacendo in Canonica conti-
nue residere: atq; in spiritualibus omni tempo-
re populo sibi a nobis credito pro ut probum de-
cet Curatum: satisfacere teneatur: pro quo com
modius exequendo sacri aditi clerici sint obliga-
ti diu noctuq; ab eo requisiti presto esse: Pro
mercede autem sui laboris eidem cere duplum re
cepturo & ad celebrandam Missam Sacriste ob
noxio nunq̄ futuro soluantur quolibet anno du-
cati. X. ex parte Archipresbiteri huic debito iu
re obligato: sic ut ex prouentibus huiusce dignita
tis eo forte recusante elici debeant: & ex parte ca
pituli assignetur Cera: quam dicimus quartam

ipsi Cap'. iam diu applicata: pertinentibus etiã ad predictum Parrochianum missis: ut aiunt: di congiunto: & aliis eiusmodi: que merito ad eum communiter spectare uidentur. At pro uniuersali Cathedralis Ecclesie Cura superius adnotata: quo ad Confessiones & Communionem: eligantur ab ipsis Archipresbitero & Curaiuolis: IIII. ex Capellanis uel substitutis: qui more solito Cõmunicantes uocati ei diligenter pro uiribus insistãt singuli singulis hebdomadis: bini uero dominicis diebus: uidelicet hebdomadam agens: ac post eum sub sequens: ordine tabule seruato: atq; insimul omnes cum opus fuerit: maxime in Resurrectione Domini & Natali: Penthecoste itẽ & Assumptione Beate Virginis Marie: consuetam hactenus octo dierum quouis Mense pro remuneratione recipientes exemptionem alias ab operariis concessam. Ad hoc si quãdo uideretur Curaiuolis pro tempore existẽtibus necessarium: addantur Sacerdotes quattuor pro supplemento: qui predictos adiuuent cõmunicantes: presertim in Quadragesima usq; ad totam octauam Resurrectionis: pro quorum mercede simulet sacramentum comitantium inseruiant: IIII. Ducati qui prius in colationibus expendebantur: in reliquis autem a principio secundo loco enumeratis suprascripti Archipresbiter ac Domini de Cura sint peruigiles: agẽdo per Coristam & alios ministros ut omnia

bene procedant ad cultum diuinum spectantia: admittendo uel remouendo in dies cõmunicantes: cantores: hebdomadarios: euangelistarios: epistolarios: eorum sufficientia tantũmodo inspecta: ceteraq; demum iuxta consuetudinem Ecclesie nostre ad se pertinentia recte ordinando Patrochiani remotione semper in Arbitrio Capituli relicta: quibus non obstantibus hortamur eos nunq̃ abstineant pro animabus Curandis ministerium suum impendere: quandocunq; proficere posse cognoscant: atq; per se ipsos uel per alios idoneos Canonicos in Resurrectione Domini sacramentum Eucharistie ministrent: Deniq; sicuti Archidiaconus ut in superioribus est decretum: potest esse Curaiuolus & non Camerarius ratione adducta Capi. XXVI. ita etiam ex eadem caussa uice uersa considerata Camerarius quidem fiat Archipresbiter: Curaiuolus nequaq̃.

De Camerariorũ electione. Ca. XXXIIII.

CAPITVLO legitime conuocato eligãtur singulis annis Maio mense camerarii duo: ex quattuor Canonicis a Consulibus artis lane: ut moris est: adhoc designatis: quibus deinde propter nouam beneficiorum addictionem & prouentuum Capituli augmentationem klendis Ianuarii de gremio ipsius Capituli superaddatur

tur

tur & tertius: omni re postmodum ualida exi-
stente super qua duo simul ex eis consenserint:
Prestare autem debeāt unusquisq intra triduum
ab electione iuramentum: aliter denuo ex predi
cto gremio ꝓcedat creatio ueteribus interim offi
cio fungentibus: ac si quando contingat aliquem
eorum a Ciuitate absentē esse ultra mensem: pro
quo tantum liceat illi suas alii partes demandare
inmediate substituatur usq ad reditum: Incom-
patibilia uero censeantur camerariorum & domi-
norum de cura officia suprascripta deuetum ha-
bentibus Curaiuolis per tres Annos & Came-
rariis duos a die consumpti officii: quosquidem
Camerarios in sacris cōstitutos fore decernimus.

¶ De officio eorundē Camerarioꝝ. C. XXXV.

CAMERARII attendere debeant pri-
mo quantum in se est ut Constitutiones &
partita seruentur: deinde ut cunctis de Capitulo
Ecclesie inseruientibus Canonicis iuxta predicti
Capituli consuetudinem soluantur singulis men
sibus distributiones: Preterea teneantur inuigi-
lare pro augmento & rerum omnium ipsius Ca-
pituli conseruatione: ex cuius bonis quicquid im
minutum alienatum ue inuenerint recuperare
pro posse nitantur: Et integre ad eius proprie
tatem expensis illius omnino reducere nihil unq̄
debitoribus eiusdem locando non existentibus
in bonis illius; in quo etiam a Constitutis in

Ciuitatis regimine caueant: fiat autem locatio quelibet de triennio in triennium: nil muneris quouismodo recipiendo: Contractus item lites aliaq; negocia per capituli prouisorem ordinariũ aut procuratorem uel per alium notarium exe- quantur: in super si quando contigerit aliquem de Capitulo egrotare illum domi uisant cum altero saltem ex dominis de Cura: Et post cõmodam pro tempore quo ad animam peractam exhorta- tionem. X. ducatos prefati Capituli nomine mutuo porrigant: Semel demum in anno nisi cum dominus Archidiaconus uno secum ex tribus adhibito id egerit: ut supra Capi. XXVI. teneantur duo ex illis sorte quibus obuenerit inter se alioqui nõ paciscentibus uisitare omnia predicti Capituli beneficia in Ciuitate & extra sumptibus ipsius ad normam constitutionis. XXVI. aliaq; similiter bona illius id exigentia: cum potestate expẽdendi usq; ad summam. X. ducatorum pro qualibet reparatione opportuna: nulla sicut in ceteris rebus & expensis deliberatione alia requisita: nec pretermittãt unq̃ Ianuarii mense a Corista eius libro inspecto regulam exquirere absentie date: admissionisq; pro distributione sub nomine salis acquirenda: finito uero Anno intra duos menses reddant sue rationem administratio nis strenas infrascriptas singuli recipientes: uidelicet in Resurectione Dñica hedũ: in Natali par Caponũ & Anserem in festo sanctę ꝝ omnium.

¶De his qui contra prefatos Camerarios aliquid molirentur. Cap. XXXVI.

SIQVIS autem nostrum quouismodo contra predictos Camerarios eorumq; officium temere audeat insurgere distributionibus trium Annorum omnino priuetur.

¶De distributore. Capi. XXXVII.

DISTRIBVTOR infra triduum ab electione iuramentum prestet: dando fideiussores: alioquin fiat alius: & nil unq̃ de Capituli pecunia mutuo dare audeat nisi de licentia Camerariorum: quibus ipse simul & scriba obediant semper in omnibus: ac reliqui omnes prescripti Capituli ministri: statuta singuli salaria & consuetas annuatim strenas recepturi.

¶De officio Coriste. Cap. XXXVIII.

CORISTE officium prestito prius iuramento seruandi constitutiones & partita in his que ad illum pertineāt: erit punto diligenter attento & stricte quo ad Canonicos reddere singulis mensibus rationem distributionum: quas uel Canonici uel Capellani siue substituti fuerint lucrati: monendo predictos Capellanos ac substitutos que pro seruandis cōstitutionibus

ipsos tangentibus agere debeant: & obtemperā-
do Camerariis cum ei aliquid iniūxerint respectu
admittendi Canonicos & absentie ipsis tribuen-
de: constitutionibus de hoc agentibus presertim
seruatis: uolentibus autem predictis camerariis
librum semper ostendat ad corrigenda si qua for-
te ad rem nostram pertinentia fuerint incaute ab
errata: & Archibresbitero atq; dominis de Cu-
ra in his que ordinem Ecclesie cultumq; diuinū
respiciunt obediat.

¶De Cappellanis Substitutis & Clericis Capi. XXXIX.

CAPPELLANI accepturi a Capitu-
lo possessionem iurent seruare Constitu-
tiones attinentes ad eos: deinde qui tenentur ad
festa & anniuersaria defunctorum facienda con-
gruis illa studeant peragere temporibus: aliter
sufficientem pro tali debito persoluant distribu-
tori pecuniā: Substituti uero a Capitulo admit-
tendi sic eligantur: congregato Capitulo predi-
cto adcedant sigillatim competitores & a Presi-
dente: aut quo uis alio ex congregatis cui forte
ille commiserit examinentur: maxime circa lite-
ralem sancti euangelii uel Epistole alicuius expo
sitionem illis adposit. ut legant: ac postea declarēt
deinde habitu eorum presentia & sufficientia sic
ab omnibus interim consider, mittantur singuli
ad partitum

ad partitum: & qui per maiorem Capituli partem approbatus fuerit substitutionem assequatur nisi appostata extiterit: q si absq; competitore quis unq̃ adcedat agatur nihilominus ut supra: onerata circa salarium illis tribuendum eorũ conscientia pro quibus inseruiant: compellendis utiq; ab ordinario pro debita & conuenienti solutione: confirmari etiam sigillatim debeant singulo quoq; Anno Ianuarii Mense per maiorem Capituli partem quemadmodum & ceteri eius ministri: Omnes autem siue Cappellani siue substituti existant in Choro cum Cotta & guso exceptis magistro Clericorum Corista Parrochiano Sacrista Magistro Cerimoniarum librario distributore Capituli & prouisore: qui laneo capuccio utantur nigro: abstinendo a Colloquiis & confabulationibus: dum officia diuina celebrãtur: canendo frequenter & nunq̃ discedendo nisi de licentia Coriste: accedendo ad legium pro cunctis necessario singulis horis ibidem decantandis & assurgendo Capite detecto cum deceat: preterq̃ in nocte: presertim ad incipienda responsoria uel Antiphonas aliaq; huiuscemodi secundum Ecclesie nostre consuetudinem: quorum aliqua interdum: ut in festis simplicibus diebusq; ferialibus: per Clericos agi solent: qui quidem cum Cotta deuote manere & cantare cunctaq; illis imposita reuerenter & accurate actitare teneantur magistro per omnia obediẽtes: Caueant deniq;

ſupradicti Cappellani & Subſtituti ne ullas in ſa cro aditu Choro aut Eccleſia excitent rixas iurgia uel clamores atq; in reditu ex funeribus ad Eccleſiam Cathedralem bini & non turmatim. Clericis antecedẽtibus exordine reuertantur: puniendi pro arbitrio Coriſte uſq; ad ſummã. xii. ſolidorum: quandoquidem errauerint: quod ſi delictum eiuſmodi ſit ut maiori uideantur pena mulctandi: referatur ad Capitulum: & ab eo ibi iudicentur.

De Abſentia. Capi. XL.

QVIA ut patet ex Conſtitutionibus maiorum noſtrorum Abſentia his potiſſimum eſt concedenda Canonicis: qui Eccleſie ſunt cõſueti deſeruire: ideo & nos recta uolentes eorum ſequi ueſtigia decernimus ut omnes de Capitulo ſingulis annis in quibus perſonaliter ipſi Eccleſie menſibus quattuor adminus inſeruierint ſaltem in matutin. pro qualibet die tantum: uel Miſſa: Veſperis: aut Completorio: ac interpellate licet cõnumeratisq; diebus in quibus: etſi nõ perſonaliter deſeruierint: aliqua nihilominus legitima de cauſſa fuerint per Coriſtam admiſſi: accipere poſſint abſentiam trium Meſſium: per unã diem: per plures: uel inſimul totam: ad libitum: ab uno uidelicet ad alium Ianuarii menſem: dum modo extra Ciuitatem: & ſint quotquot uice qua

libet accipiantur dies: ut dicimus: currentes: non Coriste commissi ut eligantur ab eo dominicales aut solemnes tantum: sed a recipiente uel per se uel per alium singulis uicibus expostulati: eaq; potiantur admissi: unusquisq; ad omnes horas tam nocturnas quam diurnas: quibus adesse consueuerit: diligentia Coristæ super hoc maxime requisita: qui nullum admittat quibus horis nunq̃ interuenire perspiciat: seu tam rarissime: ut pro nihilo sit estimandum: & si forte accidat: ut aliquis absentia recepta nõ deseruiat eo Anno. iiii. mensibus: quemadmodum supra est cautum: nõ detur ei distributio eiusmodi absentie: aut soluta retineatur a distributore in aliis subsequentibꝰ postea distributionibus: uice una solum excepta qua concedimus: ut quilibet distributione huiuscemodi non defraudetur: etiam si non ita impleuerit: quandoquidem tamen Anno proximo antecedenti distributiones iure adeptus inueniatur sub nomine salis comprehensas: Elapso uero Anno semper absoluta censeatur absentia ipsa q̃uis non dum reuera consumpta: quam deniq; nullus nouus Canonicus adueniens prius adgrediatur q̃ diuinis interfuerit officiis per duos menses ex quattuor quibus ad eam assequendam cõmuniter est inseruire necesse

De modo faciendi Commissarios pro Capituli negociis. Capi. XLI.

QVOTIES pro Capituli negociis requirantur Cōmissarii: Statuimus pro uno creādo extrahantur de bursa communi electionarii duo: pro duabus quattuor: & sic deinceps multiplicando: Ex nominatis deinde habeantur Cōmissarii: qui obtinuerint per maiorem predicti partem Capituli: uoto uno adminus uidelicet supra omnium medietatem: atq; denuo extrahantur qui alios nominent loco non sic obtinentiū suprascripto modo in ceteris prosequendo sortéq; mittendo inter concurrentes siqui extiterint: ut ita proueniat electio: commissiones uero dignitatibus uel Canonicis a Capitulo demandate ordinarie pro semextri tantū intelligantur ni secus dispositum fuerit: & siquando ab Archiepiscopo uel suffraganeo requirantur Canonici: eant quibus exordine tabule contigerit: nisi uisitandi gratia: etenim estimandum est ad eiusmodi officium uocari qui censeantur magis idonei: omnes aūt admittantur in cunctis ueluti presentes.

De Prohibitione concedendi augmentum organiste. Capi. XLII.

STATVIMVS ne de cetero agi unq̄ liceat de augmento alicui organiste concedendo: Et siquis uel presidens uel quiuis alius de ca

pitulo

pitulo audeat proponere uel tractare aliquid con tra presentem constitutionem intelligatur & sit p tres Annos cunctis distributionibus ipso facto priuatus.

¶De modo seruando in Constitutionibus du biis pro illarum declaratione. Cap. XLIII.

AD hec addere uisum est ut si aliqua in no stris unq̃ constitutionibus aut ex uerbis aut ex sensibus exoriatur dubitatio habenda sit diffinitio per duas tripartiti capituli partes: nec ulli post determinationem temere contra permit tatur obniti.

¶De Authoritate Capituli pro mulctandis qui aliquid nota dignum circa predicta com miserint. Cap. XLIIII.

IAMDIV consuetudine approbata inua luit Capituli authoritas mulctandi aliquan do distributionum priuatione uel aliis penis & Canonicos: & Capellanos: Substitutos: & Cle ricos: eorumq; magistrum minus honeste se se ha bentes: tam circa diuinum cultum: q̃ circa nego cia in totum uel ex parte Capitulum ipsum utiq; tangentia: quapropter predicta consuetudine at tenta rationi consentan ea confirmamus prefatũ Capitulum rationabili caussa existente posse ob

tento partito per duas ipsius Capituli partes in tris diuisi punire tam Canonicos q̃ Cappellanos ceterosq; supranominatos in premissis errantes.

¶ De Abrogatione ueterum Constitutionum Capitu. XLV.

VOLVMVS deniq; hac ultima nostra Constitutione fore omnino sancitum: ut omnes ueteris uoluminis constitutiones sint ex nunc penitus abrogate cunctaq; ablata partita: que hactenus uel ad ipsas constitutiones proprie attinentia uel in earum uim transeuntia edita fuere preter unum tantūmodo partitum sub die Mensis Martii. X. M. D. XXXVII. uidelicet ut Corista possit mulctare quecunq; Canonicum immodeste se habentem in Choro ueluti plenius in illo continetur: adeo ut quantum ad huius collegii nostri decreta & partita eo pertinentia: predicto quo ad placuerit excepto: nihil seruari posthac debeat a nobis nisi quod in presenti nostrarum uolumine constitutionum de Communi omnium consensu tertia die Martii. M. D. XLIII. generali coadunato Capitulo seruatis seruandis loco solito statutum est de superioris nostri authoritate confirmandum.

¶ Nos benedictus de Mercatis I. V. Doctor necnon Illustriss. & Reuerendiss. Domini. D. Cardinalis de Rodulphis Archiepiscopatus Flo

ren̄. perpetui Administratoris Vicarius in spiri-
tualibus generalis tam iure ordinario q̄ de eius
super hoc speciali mandato & commissione pro
ut in literis habemus sub die. XXX. Mensis
Martii. M. D. XLIIII. Confirmamus & ap
probamus.

¶Dat. in Archiepisc. palatio Floren. Die xxiiii.
Aprilis. M. D. XLIIII. presentibus Io. Ma
ria olim Iacobi de detiis & Marcoantonio olim
Zenobii de detiis Ciuibus Floren. testibus ad
predicta uocatis habitis & rogat.

Io. Vannuccius Ciuis & Not. Publ. Floren.
de mandato suprascr. Domini Vic. & de
predict. rogat. in fidem subscr.

Deo Gratias.

Impressum Florentiæ.

M. D. XLV.

MC